VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV BERNARDI ROCHE, SVPER MANIFESTATIONE EIVS PERSONÆ, IN CVRIA ILLVSTRISSIMI Domini Iuſtitiæ Aragonum.

IN DEI Nomine. Amẽ. Nouerint vniuerſi, quod anno computato, à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, die verò, quæ computabatur ſecunda, menſis Decẽbris, apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ, & in Camera Concilij Illuſtriſsimi Domini Iuſtitiæ Aragonum, interuenientibus Illuſtribus Dominis Doctoribus, Carolo Bueno, & Piedrafita, Martino Frãciſco Climente, & Bartholomæo Perez de Nueros, Locumtenentibus ordinarijs Illuſtriſsimi Domini Don Michaelis Marta, Militis Maieſtatis Domini noſtri Regis Cõſiliarij, ac Iuſtiæ Aragonum, abſente Illuſtre Domino Doctore Antonio Blanco Locũtenente prælibatę Curiæ, pro ſuſpecto dato, & declarato, & pro eo præſente, Domino Doctore Lamberto Vidaña, Locumtenente extraordinario prælibatæ Curiæ; Coram quibus fuit poſsitus proceſſus Bernardi Roche capti, ſuper manifeſtatione eius perſonæ, in quo tàm dictus Dominus Doctor Martinus Franciſcus Climente, dictæ cauſę Relator, quàm alij Domini Locumtenentes, concordes fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiari, reſtitutionẽ perſonę Bernardi Roche manifeſta-

ſta-

stati, principalis, Didaci Francisci Panzano Procuratoris, supplicatam, pro parte Braulij Mendieta, & Iosephi Sanchez Procuratorum, locum non habere, & communicato Consilio pronuntiari, cætera supplicata, per dictos Brauliũ Mendieta, & Iosephum Sanchez Procuratores, locum nõ habere; EX EO, & alias, prout in sententia pronunciandum censemus; quia cum ex allegatis, ab Inclita, & semper Augusta Ciuitate Cæsaraugustæ deducatur, personam Bernardi Roche, sibi restituendam petijsse virtute sententiæ, aduersus ipsum, in vim priuilegij, vulgariter dicti de VEINTE, promulgasse, necessariò Senatui visum fuit, hoc Priuilegium, in pręsenti manifestationis processu inserendũ Fore, quo posset Ciuitas, suam in tentionem adstruere, simulq; à nobis interponi iudicium, tã super facultate, eidem Ciuitati, ex Priuilegio attributa, quã super illius prætensa obseruãtia, ad quam decidendam, sine subiecti obseruati productione (in quo nititur) aditus intercluditur; ne alias, absque materia, & fundamento, super cõprehensione Priuilegij, quod non est in mundo (quia abest, à processu) & allegatæ obseruãtiæ cognitione, vltroneam interponeremus censurã; quibus nec obstat, hoc Priuilegium, à Ciuitate prætendi Forum esse, prout in Tribunalium, huius Regni decisionibus, admissum videmus, sic quæ, tamquam notorium, illius exhibitioni opus non esse; quia in eisdem processibus, à quibus præfatæ decisiones emanarunt, dictum Priuilegium reperitur exhibitum; quod, & in alijs causis institutis, in vim Priuilegiorum, quæ proculdubio, per actum Curię roborata fuerunt, obseruatum agnoscimus, torque exhibitionibus repetitis, Ciuitatem, onus exhibendi Priuilegium, satis agnouisse conuincitur. Vlterius, quod cum in volumine iuris nostri municipalis, Fororum, scilicet, vbi leges tantum publicatas contineri præsumitur, illius tenor insertus, non reperiatur, neutiquã, vt notorius poterit reputari, quia lex omnibus patefieri, nequit, nisi, eius præcedente publicatione; vnde licet, in Comitijs Generalibus, anni millesimi ducentesimi octuagesimi tertij in Conuentu Prædicatorum celebratis, per actum Curiæ præfatum Priui-

ui-

uilegium confirmatum fateretur; Nihilominus tamen, cum tenor expressus, in confirmatione, non sit, semper de subiecto confirmato, per productionem, aut illius exhibitionem, nobis cōstare debere sentimus, & quāuis Priuilegij copia, in processu reperiatur exhibita, tamē, cum in nostro Regno, omnia inclusionis instrumenta, debeant originaliter produci, etiam si, à parte in contrariū aliquid non aponatur, intentionem suam, exemplari, seu copia Priuilegij, Ciuitatem fundare nō posse, nos Fororum, & legum obseruantia, cogit iudicare, pro vt ita, semper Regios Aragoniæ Senatus firmasse inuenimus. Præterea, & si virtute huius Priuilegij, ipsiusque obseruantiæ Ciuitas, aduersus sibi tortum inferentes (prout asserit) procedere posset, necessario, tortum tāquam qualitas, hanc ipsi potestatem vindicatiuam tribuens, ante omnia, in præsenti Curia debebat probari, in quo Ciuitatem defecisse, constanter iudicamus, nec releuat, ab hoc probationis onere, quod, ex litteris narratiuis, pro Ciuitate productis, supradicta procedendi qualitas, seu facultas resultare prætendatur, quia iudicum tantum, ordinariorum litteris, fidem adhibendam esse decernitur, & aliorum, quibus à Foro specialiter concessum est; magna cum ratione præuentum, ne alias potestas, certis limitibus contenta (qualis est vigiaaria, vt ab ipsa Ciuitate proponitur) vniuersalis, absolutaque efficeretur, quod iura, non patiuntur, nec Forisnostris adequeat, vt magno examine, & accurata inspectione, ab antecessoribus nostris, sic decissum, & explanatū inuenimus, quin suffragari posit consuetudo, à Ciuitate allegata, qua probatum nititur, fidem tribuendam, eo quod, in processibus, in quibus præsentatæ fuerunt, ad vlteriora non esse procedendum, declaratum fuit, nam cum in præsenti, de tali consuetudine, non appareat in hoc immorandum nō est. Nec tandem, huius tàm necessariæ probationis defectum; supplere possunt testium dicta, eisdem litteris narratiuis inserta, quia præter quam quod, nec qualitatem torti, probatam in genere, nec rei manifestati personam, ab ipsis testibus legitimus nominatam, nunquam supradicta insertio,

vel

vel narratio, nudos assertionis terminos egreditur, & per consequens, ad legitimā probationem deseruire, non posse, iuridice, & Foraliter, per quam certum esse intelligimus, ex quibus & alijs attentis contentis.

SIG- ✠ NVM mei Bartholomæi Terrer, Ciuis Ciuitatis Cæsaraugustæ, & in eadem domiciliati, autoritateq; Regia per omnes terras, & dictiones Domini nostri Regis publici Notarij, ac Secretarij principalis Consilij Curiæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, qui suprascripta vota, & motiua à originali libro dicti Consilij de anno supra calendato, vbi continuata existunt extraxi comprobaui, & signaui.